



14. 17

FRANCISCVS CAROLVS CONRADI IC.

ACADEMIAE IULIAE QVAE HELMSTADII EST NVNC PRORECTOR  
SERENISSIMO BRVNOMIC, ET LVNAEBVRG, DVCI A CONSILIIS AVLAE  
PANDECTARVM PROFESSOR PVBL. ORD.

HONORIS IN ARENA  
SE HONORARI PASSOS  
INFAMANTIS

VERAM RATIONEM

AD

RECTE INTELLIGENDAM  
L. I. §. VI. D. DE POSTVLANDO

EXQVIRIT

ET

DISPV TATIONES PVBLICAS

DE

IVRE CONTROVERSO

IN IVLEO MAIORI


HABENDAS

INDICIT.

---

HELMSTADII  
TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII  
ACAD. TYPOGR.

14





Quum honos sit *praemium virtutis*,  
*iudicio studioque ciuium delatum ad*  
*aliquem*, vt CICERO definit in  
*Bruto cap. 81.* honorem virtute  
partum ignominiae notam hono-  
rato inurere posse, et quidem vi-  
rorum prudentum iudicio, quis  
mente concipiat? Etsi vero honestum id, quod illi  
requirunt, totum sit positum in animi cura et cogi-  
tatione: exercendum tamen esse corpus et ita adficien-  
dum, sentiunt, vt obedire consilio rationique possit in  
exequendis negotiis et in labore tolerando, quod idem  
CICERO praecipit de *Officiis lib. I. cap. 23.* Itaque et  
corporis virtuti pretium suum statuunt, maxime  
quum et animi fortitudo ex ea eluceat.

A 2

Sed

## IV

Sed quid illud est, quod ait VLPIANVS in l. I.

§. 6. D. de postul. vbi postquam eos, qui operas suas, vt cum bestiis depugnarent, locauerint, notari et pro aliis postulare prohiberi, qui vero depugnaerint, quum non locassent operas, non teneri, docuit: denique eos, scribit, qui virtutis ostendenda causa hoc faciunt sine mercede, non teneri aiunt veteres: nihil in arena passi sunt se HONORARI: eos enim puto notam non euadere. ACCVRSIUS, variae lectionis indicio facto, si legas, honorari, explicare iubet, praemio aliquo virtutis, corona e. c. donari in arena: si legas, onerari, damnatos ad depugnandum cum bestiis vult intelligi. Neutrū placere potest cogitantibus id, quod dixi, praemio virtutis turpitudō ut alicui adspergatur, contra sanam rationem esse, altera vero lectione nihil absurdius proferri posse, vbi sermo est de his, qui sponte et virtutis ostendenda causa ad depugnandum cum bestiis accedunt. ANT. FABRI in Rationalib. ad h.l. expositio, quod gloria sequi, non appeti debeat, et quod is, qui passus est in arena se honorari, ea velut mercede vanae gloriae et acclamationis populi operas locauerit, nimis arguta merito visa est v. c. G E. ARNOLDO Var. coniect. Lib. I. cap. 5. repudiata etiam a B. BRANCHV Obs. Lib. I. c. 5. Frustra quoque est BACHOVIVS ad περτη p. 749. rationem VLPI-

ANI

AN<sup>t</sup> a conditione scenae Romanae, in quam prodire turpe & probrosum erat, referendam ratus, quo ipso turpiter se dedit, confundendo scenam theatri, vbi fabulae agebantur, cum arena, vt amphitheatrum vulgo appellatum esse docet LIPSIUS de Amphitheatro c. 3. scilicet quia is locus desabulari soleret et arena sterni in vsum pugnae. Sed ad arenam siue ad amphitheatrum caussam turpitudinis refert vir insignis GER. NOODT Comment. ad Pand. tit. de postul. p. 71. si quis ibi passus sit se honorari, id est, sibi praemium dari: sicut honor praemium dicitur apud VIRGILIVM et alios, auctore NONIO MARCELLO de Verb. propriet. cap. 4. Nam si quis operas suas locauerit, vt feras venetur, vel vt depugnet feram, quae regioni nocet, extra arenam, eum notari negat VLPIANVS eod. §. 6. Quod si cum FABRO quaeras, cur in arena honorari turpe esse debeat, quum turpe non sit in arena pugnare virtutis ostendenda caussa? respondet NOODTIVS, hoc ita esse, quia turpe sit in arena accipere honorem i. e. praemium siue quaestum, vt VLPIANVS dixerit in l. 2. §. 5. D. de bis qui not. infam. Haud multum absimilis fuit sententia CAES. COSTAE Var. ambiguit. iur. Lib. I. cap. 28. quem vir Cl. CHRIST. HENR. TROTZIVS in Memor. propag. Lib. I. cap. 6. sequitur, rationem quae-

A 3

rentis

## VI

rentis in animo mercenario, etiam si mutato vocabulo et sub honestiori verbo et post factum accipiatur merces, spe et cogitatione ante pugnam proposita ac destinata, si quis mente ea atque animo mercedis, non virtutis gratia mere in arena pugnasset, et honorarium quasi mercedem accepisset. Ita enim interpretatur verbum, *honorari*, ut sit honorarium accipere, i. e. mercedem, quae alicui ad remunerandum datur, quasi locatio operae non interuenisset, l. i. pr. D. si mensur fals. mod. dix. Adscribit firmandae explicationis suae causa PHOTII in *Nomocanone tit. XIIII. cap. 21.* verba ex Latina versione

HENRICI AGYLAEI. Graeca sic habent: "Ατιμοὶ δὲ εἰσι πάντες οἱ διὰ πόρου εἰς σύγιῶνα κατιόντες, καὶ οἱ διὰ ΦΙΛΟΤΙΜΙΑΝ ἐπὶ σκηνῆς προσιόντες. Εἰ δὲ μιδώσας ἔσυντὸν εἰς παιχνικὴν τέχνην, καὶ μὴ ἐπιδειξάμενος ὅνκι αὐτιμάται καὶ ὁ ἔαυτὸν μιδώσας εἰς τὸ θηριομαχήσας, εἰ μὴ τὸ θηρεῖον τυχόν λέων ἦν, οὐδὲν ἄλλο τι, καὶ ἡμέραν γέγονεν. Ω μὴν δὲ ἀνευ μιδὼν θηριομαχήσας, εἰ μὴ ΛΑΒΕΙΝ ἐν τῷ κυνηγῷ ΦΙΛΟΤΙΜΙΑΝ ἤνεχετο.

AGYLAEV S haec ita expressit: *Infames autem sunt quicunque quaestus causa in certamen descendunt, et PROPTER PRAEMIVM in scenam prodeunt. Verum qui se ad artem ludicram exhibendam locat, neque prodit, non notatur: et qui se ipsum locat, ut cum bestiis de-pugnet, nisi leo forte, aliaue quaedam bestia sit, quae man-sueta*

*sueta facta est: non item qui sine mercede cum bestiis depugnarit, nisi in arena HONORARIVM quiddam capere sustinuerit. Turpe esse, monet BRANCHV l.c. ea agere, quae nemo ingenuus agat, sed quae seruitantum et capite damnati agunt: neminem enim, nisi seruum aliumue ad id damnatum, (qui sic et libertatem amitterebat,) in arena depugnare cum bestiis debuisse. Eum quidem, qui pugnauit, nec locauit, modo non passus fuerit se in arena honorari, remouisse ea omnia, quae in actu illo seruilia erant, dum non coactus pugnauit, non mercedis caussa, non passus est se honorari in arena. Praemia enim, quae in arena victoribus dabantur, vilia fuisse, i. e. parui momenti et cum conditione seruili proportionem habentia: vnde nemo nisi seruus eiusmodi praemium ausus sit honori sibi ducere.*

Nouam explicationem tentauit vir doctissimus, immatura morte in ipso iuuentutis flore bonis literis eruptus, quem iam laudauimus, G E. D' ARNAUD Var. Coniect. l.c. negans, illam nominis φιλοτιμία significationem, qua notet *praemium* aut *honorarium*, vlla veterum auctoritate probari posse. Aliam itaque verborum PHOTII versionem dedit, in qua vocabulum φιλοτιμία priori loco, vbi de prodeunti,

## VIII

untibus in scenam dicitur, per laudis cupiditatem expressit, posteriori loco, vbi de his qui cum bestiis depugnarunt sermo est, verba, λαβεῖν ἐν τῷ κυνηγῷ Φιλοτιμίᾳ, reddidit, *in arena honorem accipere*. Exstimat vero, *in arena honorari*, significare apud VPLANVM, tanti illas venationes facere, vt honori quis ducat se, ab arena, arenarium dici. Quamobrem notari eos censet, non tantum, qui mercede conducti in arenam descendunt, sed et qui virtutis causa cum bestiis pugnant, si ea gloria adeo efferantur, vt in arena honorari, id est, inter reliquos arenarios recenseri non refugiant. Hanc declaracionem haud respuere ipsi videntur PHOTIVS & Basilica, in quibus eadem locutio, λαβεῖν ἐν τῷ κυνηγῷ Φιλοτιμίᾳ, legitur. Quum autem haec quoque nondum satis plana, neque ipsi auctori suo, elegantissimi ingenii et doctrinae iurisconsulto, ex animi sententia satisfecisse videantur, maxime quum nec idoneus sponsor sit datus pro noua interpretatione, *in arena honorari*, et λαβεῖν ἐν τῷ κυνηγῷ Φιλοτιμίᾳ, idem esse, quod *inter arenarios recenseri*: integrum erit, quae mihi de loci difficilis et interpretibus molesti explanatione in mentem venerunt, in medium proferre et, anne potestatem illam verbi φιλοτιμία, quam

AGY-

AGYLAEV<sup>S</sup> adhibuit, auctoritate aliqua firmare licet, curatius inuestigare.

Ait VLPIANVS, remoueri a postulando pro aliis, qui operas suas, vt cum bestiis (in arena) depugnaret, locauerit. Caussam nemo non perspicit: quoniam vilissimae huius generis animae venalem habent sanguinem et proiiciunt vitam, dum, vt MANILIVS Astronom. Lib. IV. v. 314. canit,

*caput in mortem vendunt et funus arenae.*

De quibus CYRILLVS Catech. I. Μήτε τές εὐ κυνηγίους έσυ τές θηρείοις ἐκδιδόντας, ὡς τὴν αἴθλιαν κολακέυσωσι γασέρα, οἱ ὡς κοινῶν τεοφαῖς θεαπέντωσι, οὕτοι γασέροις αἰτιάστων αἴτιοι τεοφή γίνονται θηρείων. Neque eos qui in venationibus amphitheatri se ippos feris tradunt, vt misero adulentur ventri, et dum abdomini alimentum administrant, ipsi sunt ventri ferarum immānum cibus. Hi ergo infames fiunt ob hanc caussam, quia animam vendunt, dum se ad depugnandum cum bestiis locant. Hinc bestias accipiendas esse VLPIANVS monet, ex feritate magis, quam ex animalis genere, statimque subiicit: Nam quid, si leo sit, sed mansuetus, vel alia dentata, sed mansueta? Cessat nimirum tunc ratio discriminis vitae a feritate bestiae: quare cum talibus mansuefactis depugnaturos teneri negat VLPIANVS, non adfirmat, vt visum NOODTIO, qui vo-

X  
culam nam hoc loco non esse caussalem, sed habere  
vim incipiendi contendit, sine ratione, contradicen-  
tibus etiam Graecis. Ergo qui locauit, pergit **VLP-  
ANVS**, solus notatur, siue depugnauerit, siue non. Sa-  
tis enim leuitatem hominis arguit, quod se locauit  
et arenae auctorauit, etsi non depugnauerit: ideo-  
que hic non factum habetur odio, sed propositum, ut  
**BALSAMON** verbis postea adscribendis deciarauit:  
fecus ac in iis seruatur, qui operas suas locarunt, ut  
prodirent artis ludicrae caussa, neque prodierunt,  
*l. 3. D. de his qui not. infam.* His consequenter, si quis  
depugnauerit, quum non locasset operas suas, non tene-  
bitur: non enim, qui cum bestiis depugnauit, tenebitur:  
sed qui operas suas in hoc locauit. Denique eos, qui vir-  
tutis ostendenda caussa hoc faciunt sine mercede, non  
teneri, aiunt veteres. Docuit enim **LIPSIVS** Saturn.  
serm. Lib. II. cap. 3. iam olim corruentibus moribus,  
primae etiam nobilitatis viros operas arenae locasse:  
quosdam desperatione et bonis exutos, alios Principi-  
bus gratificantes: quin vulgo iam sub Principibus E-  
quites arena pollutos esse et Senatores, neque valuisse  
apud successores SCtum sub Augusto factum et Tiberii  
exemplum, de quo **SVENTONIVS** in *vita c. 35.* nec Vitellii  
legem, de qua **TACITVS** *Histor. Lib. II. c. 62.* Cauitque  
seuere, ne Equites Romani ludo aut arena polluerentur.  
Pri-

Priores id Principes pecunia et saepius vi perpulerant:  
 ac pleraque municipia et coloniae aemulabantur corru-  
 ptissimum quemque adolescentium pretio illicere. Hinc  
 SENECA epist. 100. *Adspice illos iuuenes, quos ex no-*  
*bilissimis domibus in arenam luxuria coniecit.* Si quis  
 itaque nulla mercede, nullo munere promisso vel  
 dato conductus, (nam et hoc mercedem appellat  
 TACITVS *Annal. Lib. XIV. cap. 14.* vbi, Neronem  
*Equites Romanos operas arenae promittere subegisse do-*  
*nis ingentibus, narrat) cum feris in arena depugna-*  
*uerit, non notatur. Caussa enim turpitudinis cessat,*  
*venalis animae projectio: et veteres iurisconsultos*  
*ita existimare, tradit VLPIANVS, eos qui virtutis o-*  
*ffendendae caussa cum bestiis depugnarunt sine mer-*  
*cede, non teneri. Exceptionem subdit: *Nisi in are-**  
*na passi sunt se honorari.* Quid ergo? Si virtutis et  
 gloriae studio iuuenis aut vir fortis in amphitheater-  
 um descenderit, isque victor honoretur laudis  
 praemiis, donetur palma, corona, veste, forte et  
 statua: quid putas? eum notam non euadere cen-  
 suit VLPIANVS? Etenim inter iuuenum exercititia  
 fuisse, cum bestiis depugnare, obseruauit GIB. CV-  
 PERVS ad Laetant. de mort. persecut. cap. 21. et de Im-  
 peratoribus constat, eos cum feris certasse, easque  
 confidere gauisos esse, vt de Commodo refert DIO

## XII

*Lib. LXXV. p. 822. & p. 826. de Caracalla idem Lib.  
LXXVII. p. 874. & 877.* Neque seruile et probro-  
sum facinus haberi poterat, si quis in arenam descen-  
disset ingenuus, non mercede conductus, sed glo-  
riae et virtutis caussa, *l. 7. §. 4. D. ad L. Aquil.* quod  
ipsum propositum admiratione, non ignominia di-  
gnum, omnem vilitatis notam honori sive praemio  
propter victoriam oblato abstergere debebat. Sed  
et honorarium nouimus eo differre a mercede, quod  
remunerandi caussa ob negotium praeteritum, vel-  
uti hic ob *Engopaxian* praecclare peractam, et ad ho-  
norem alicui detur. Nimis quoque durum et ini-  
quum foret, talem, qui nulla alia re, quam virtute sua  
effecerit, ut praemio honoraretur, idque dum eueni-  
ret, non repugnauerit, ignominia notari, ut postu-  
lare prohibeatur. Quodsi cupiditatem et spem praee-  
mii mente paeceptam id poenae mereri dicas: re-  
uera enim quaestus caussa eum ad certamen iuisse,  
quamuis se fortitudinis ostendendae ergo in arenam  
descendere pae se tulerit: vereor, ut cogitatio in  
animo retenta iure ciuili spectetur: si quidem cogi-  
tationis poenam nemo patitur, *l. 18. D. de poenis.*  
Omnino igitur oportet verba, *in arena pati se hono-  
rari*, non de honorifica acclamatione et plausu, nec  
de corona alioue virtutis ostensae praemio victori  
in

in amphitheatrali pugna sponte dato intelligere, sed,  
 nisi fallor, de largitionibus, quae arenariis tam mer-  
 cede conductis, quam gratuitis, qui bene rem ges-  
 sissent, ab editoribus ludorum amphitheatralium  
 proposita dabantur, tum de pecuniis et muneribus,  
 quae in huiusmodi certaminibus victores a specta-  
 toribus corrogare solebant, de quibus arenae mu-  
 neribus plura attulit **IVL. CAES. BVLLENGERV\$**  
*de venat. circi, cap. 15.* Sane qui cum conductis et  
 emtitis illis ferarum depugnatoribus communes  
 operae exhibitae remunerationes accipiebant, non  
 poterant non quaestus caussa in arenam descen-  
 disse et caput bestiis obiecisse videri. Luculenter  
 foeditatem eius generis hominum describit **CAS-  
 SIODORVS** *Var. Lib. V. form. 42.* *Si consularem*  
*munificentiam prouocant, qui peruncta corporum fle-*  
*xibilitate luclantur: quo munere venator explendus est,*  
*qui ut spectantibus placeat, suis mortibus elaborat?* *Volu-*  
*ptatem praefstat sanguine suo, et infelici sorte constrictus*  
*festinat populo placere, qui eum non optat euadere.* *Actus*  
*detestabilis, certamen infelix, cum feris velle contendere,*  
*quas fortiores se non dubitat inuenire.* *Sola est*  
*ergo in fallendo presumtio, vnicum in deceptione solatiu-*  
*m. Qui si feram non mereatur effugere, interdum*  
*nec sepulturam poterit inuenire.* *Adhuc superflite ho-*  
*mine*

## XIV

mine perit corpus, et antequam cadauer efficiatur, truculenter absumitur. Captus esca fit hosti suo, et illum, pro dolor! satiat, quem se perimere posse suspirat. Tandem magistratus, eiusmodi ludorum editores, alloquitur: Sed vobis, quibus necesse est italia populis exhibere, largitate manus fundite praemia, vt haec miseris faciatis esse votua. Alioqui violenta compulso est, solennia dona subtrahere et mortes detestabiles imperare. Et ideo quicquid in longam consuetudinem antiqua liberalitate peruenit, sine aliqua dilatione concedite supplicanti. Quia homicidii reatus est, illis esse tenacem, quos editio vestra inuitauit ad mortem. Solennibus itaque donis et liberalitate editoris cum aliis arenariis inuitati ad vitae discrimen subeundum, merito notandi videntur VLPIANO, et si non pretio redempti, neque certam mercedem paci, quasi virtutis ostendenda cauſa in arenam descenderint, quod se, cum reliquis amphitheatri venatoribus, honorari muneribus ab editore publice propositis passi fuerint. Non minus turpis quaestus rei, ac proinde ignominiam promeriti erant, qui, non corona aut palma contenti, pecuniā ab arenae spectatoribus exigebant et sic in arena se honorari patiebantur, vt de athletis memorat TZETZES in Chiliad. XIII. cap. 475. Εἰσὶ δὲ ἀγρύνες σεφανίται ή δωρίται. Οἱ αθληταὶ γάρ τι λαμβάνεν τι χειρούτες τοῖς

τοῖς ἀγώσι, μὴ λείσιο, καὶ ἀνθῆδε καὶ βοτανῶν σεφάνες, υκήσαν-  
τες διέτρεχον τὴν ἀγων τὸ πλῆθος, καὶ ἔτοι συνηεάντοι κεί-  
ματα τῇ ἀγώνῃ. Agones aut corona, aut muneribus ho-  
norantur. Athletae quippe exprimere aliquid a spe-  
ctatoribus cupientes in certaminibus, non lilia, aut flo-  
res, aut coronas herbaceas, discurrebant per caueam  
et confessum, et hoc pacto pecunias corradebant. Supra  
iam animaduerti, TACITO Annal. Lib. XIV. cap. 14.  
mercedem vocari dona, quibus Nero Equites Roma-  
nos ad operas arenae promittendas subegerit, vbi  
eos excusaturus, ignominiam eorum non dissimulat,  
nisi quod merces ab eo, qui inbere potest, vim  
necessitatis ad fert. Vilitas in arena depugnantium  
ipsa quoque donorum exilitate significari solebat a  
Principibus frugi, ut de Alexandro refert LAMPRI-  
DIVS cap. 37. Spectacula frequentauit cum summa do-  
nandi parsimonia, dicens et scenicos et venatores et au-  
rigas sic alendos, quasi seruos nostros, aut venatores,  
aut muliones, aut voluptarios. Quo loco venatores  
primum arenarii, postea syluatoci, qui ex domesti-  
cis erant, dicuntur, quod CASAVBONVS ad b. l. et  
BULENGERVIS l. c. docuerunt. Qui igitur animum  
turpis lucri et quaestus cupidum eo, quo indicaui,  
modo manifestum fecit, hunc ab VLFIANO dici in  
arena se honorari passum, porro confirmant Basiliæ  
et a

## XVI

et a PHOTIO ex illis transcripta verba. Enimuero, λα-  
βεῖν ἐν τῷ κυνηγίᾳ Φιλοτιμίᾳ, recte AGYLAEVs ita vertit:  
*in arena honorarium quiddam capere*: et nescio, quomo-  
do Graecis literis eruditissimo ARNOLDO exciderit,  
quod dixit, se lubentem scire velle, quo sponsore ille  
Φιλοτιμίᾳ per praemium et per honorarium expresserit:  
sibi certe illam verbi potestatem incognitam esse, ni-  
si, quod in Addendis ait, Graeci recentiores eam vocabu-  
lo virtutem tribuerint, φιλότιμοι illud appellantes, quod  
Patriarchae Ecclesias visitanti donatur: CANGIVS in  
Glossar. Graecit. in V. Sed GVIL. BVDAEVs Comment.  
Graec. Ling. p. 1062. et HENR. STEPHANVS in The-  
sauro, verbi φιλότιμοι hanc significationem iam perhi-  
buerunt, qua notat ergationem publice factam, donati-  
uum, liberalitatem, munificentiam, largitionem. Suffi-  
cere nobis poterit vel vnius PLVTARCHI auctoritas  
in M. Antonio p. 942. de Cleopatra Atheniensum be-  
nevolentiam captante, πολλαῖς δὲ ἀνελάμβανε φιλοτιμίαις  
τὸν δῆμον, multis largitionibus prosecuta est populum. In  
Glossis quoque Graeco-Latinis est: Φιλοτιμία, Munifi-  
centia, liberalitas, munus, et in Latino-Graecis: Mu-  
nus, φιλοτιμία. Prorsus igitur ex VLPIANI, quam ex-  
posui, mente Graeci verba, nisi in arena passi sunt se  
honorari, sic expresserunt: εἰ μὴ λαβεῖν ἐν τῷ κυνηγίῳ φιλο-  
τιμίᾳν ηγέρχετο, hoc est, si Graeca ad verbum reddan-  
tur:

tur: nisi in arena largitionem siue remunerationem accipere sustinuerit. Denique egregiam lucem VLIPIANO affundunt, quae BALSAMON ad illa PHOTII verba scriptis: 'Ερωτήσει δέ τις διὰ τί ὁ μὲν μιθώσας ἔσυται εἰς παιγνικὴν τέχνην καὶ μὴ ἐπιδειξάμενος ἐκ ἀτιμέται, ὁ δέ μιθώσας ἔσυται εἰς τὸ Θηριομαχῆσαι καν μὴ Θηριομαχῆσῃ ἀτιμοῦται. ἐπὶ μὲν τῆς παιγνικῆς τέχνης τὸ ἔργον ἐπάγει τὴν ἀτιμίαν, ὃν μὲν ὁ σκοπός. καὶ τέτο δηλεῖται αὐτὸς τῷ ἀτιμέθαι καὶ τὸν μὴ ἐπὶ μιθῷ, αὐλά κατὰ Φιλοτιμίαν ἐπιδειξάμενον παιγνικὴν τέχνην. ὅπι δὲ τοῦ Θηριομαχούντος ὃν τὸ ἔργον μισεῖται, αὐλά ὁ σκοπός. Θηριομαχῆσι γάρ καὶ εαστικέσι καὶ σρατιῶται τὸν ὄμελαν γενναιότητα ἐπιδεικνύμενοι. καὶ διὰ τέτο ὁ μὲν διὰ μιθῶν καὶ αὐχρονέδαιων προδόντης τὸν ὄμελαν ζωὴν, καὶ μὴ Θηριομαχῆσῃ, ἀτιμέται ὁ δὲ λαβὼν χρήματα καίρει τῷ ἐπιδειξαμένῳ παιγνικὴν τέχνην, εἰ μὴ ἐπιδειξήται ἀντὴν ἐκ ἀτιμέται. I. e. Quaeret fortasse quispiam, quapropter qui operam suam in artem ludicram locauit, neque (eam) exhibuit, non notetur: qui vero, ut cum bestiis depugnaret, se locauit, tametsi non pugnarit, famosus fiat? In arte ludicra ipsum factum, non autem propositum, infamiam irrogat. Quod manifestum fit ex eo, quod non (modo) qui pro mercede, sed (etiam) gloriae causa artem ludicram fecerunt, infames redditantur. In eo vero, qui cum bestiis pugnat, non factum, sed propositum odiosum est. Nam Reges etiam atque milites, generositatem suam ostentantes, cum

C.

bestiis

XVIII

bestiis depugnant. Ac propterea quidem qui turpis lucri causa vitam suam prodidit, tametsi cum bestiis non pugnauit, famosus fit: qui vero rei ludicrae facienda causam pecuniam cepit, si eam non fecerit, non notatur. Ex quibus omnibus iam liquido constat, animum venalem esse, qui, siue mercedem ante pugnam paciendo, siue munera cum arenariis post certamen capiendo patefactus sit, infamiae notam contrahit in arena depugnantibus, tantum abest, ut siue certamen cum bestiis, siue honor sine tali lucro et quaestu victorem in arena secutus ignominia aliqua eum afficiat, ut potius magni animi et solidae virtutis argumentum sit, ex quo fortitudinis ostendenda causa quem in arenam descendisse certissime cognoscitur, si sola laude et plausu contentus spernit,

*Victori populus quod postulat, aurum.*

Talis erat Carpophorus ille, MARTIALI Libro de spectaculis fine villa praemiorum in arena, nisi laudis, mentione celebratus, ac Meleagro, Iasoni et Theseo, imo et Herculi praelatus, Epigr. 15. 23. et praefertim 27.

*Saecla Carpophorum, Caesar, si prisca tulisset,*

*Iam nullum monstros orbe fuisse opus.*

*Non Marathon taurum, Nemeë frondosa leonem,,*

*Arcas Maenalium non timuisse aprum.*

*Hæc*

*Haec armata manus hydrae mors vna fuisset,  
 Huic percussa foret tota Chimaera semel.  
 Ignipedes posset sine Colchide vincere tauros:  
 Soluere et Hesionem solus et Andromeden.  
 Herculeae laudis numeretur gloria: plus est,  
 Bis denas pariter perdomuisse feras.*

Restat, ut confilium publico fauore dignissimum  
 hoc programmate commendem, quo iuuenes genere,  
 literis et virtute florentissimi, meis auspiciis, in arenam  
 laudis et honoris plenissimam descendere ac vires in-  
 genii et luculentos, quos fecerunt in iuris disciplina,  
 prosectorum explicare constituerunt. Sunt illi ordine,  
 de quo inter ipsos conuenit,

CHRISTOPH. IAC. LAVRENTIUS, Wer-  
 nigerodensis,

IOANNES FRIDERICVS EISENHART,  
 Spirensis,

IOANNES PETRVS SIVERS, Lubecensis,  
 FRIDERICVS AVGVSTVS CHRISTIA-  
 NVS WAHL, Magdeburgensis,

GEBHARDVS AVGVSTVS DE ALVENS-  
 LEBEN, Erxlebio Palaeomarchicus,

MARTINVS ELSZNER, Lefna Polonus,

CAROLVS DE WEYHE, Fahrenhorsta Cellensis,

IOANNES GVILIELMVS HEINEMANN,  
 Cellerfeldensis.

G. 2.

De-

## XX

Delegi eis controuersias iuris, non subtilitate,  
sed vtilitate, quam in ipsis praestant rerum argu-  
mentis, commendabiles, memor illius bene dicti:  
**NISI UTILE EST QVOD FACIMVS, ST VITA EST  
GLORIA.** In illis disceptandis ita versari animus est,  
vt necessariam et indiuiduam literarum ab huma-  
nitate dictarum bonaetque mentis cum iurispruden-  
tia coniunctionem, huiusque, praeter vulgi opinio-  
nem, in foro et actu rerum ciuilium usum compro-  
bemus. Dies, quibus publici conflictus instituentur,  
quos statos indicere magistratus academici, mihi  
per sex menses huius anni reliquos incumbentis, ra-  
tiones haud permittunt, titulo singulis disputationibus  
praefigendo significabuntur. Adeſſe itaque velitis  
et per honorifico vestro fauore decertantes prosequi  
atque excitare, qui nobilissimam exercitationem  
omni iuuandam ope fentitis eique bene cupitis. Hoc  
muneris rogamus certaminibus nostris. Sequentur  
porro meos strenue pugnantes, fidus virtutis comes,  
honor, plausus bonorum omnium, Musarum coro-  
nae palmaeque nobiles et, quae sperare fas est,  
praemia certa laborum. P. P. in Aca-  
demia Iulia, pridie Id. Iul.

MDCCXLIV.

• ) o ( •

+


94 A 7372

ULB Halle  
001 681 94X

3







FRANCISCVS CAROLVS CONRADI IC.

ACADEMIAE IULIAE QVAE HELMSTADII EST NVNC PRORECTOR  
SERENISSIMO BRVNOMIC. ET LVNAEBVRG. DVCI A CONSILII AVLAE  
PANDECTARVM PROFESSOR PVBL. ORD.

HONORIS IN ARENA  
SE HONORARI PASSOS  
INFAMANTIS

VERAM RATIONEM

AD

RECTE INTELLIGENDAM

L. I. S. VI. D. DE POSTVLANDO

EXQVIRIT

ET

DISPV TATIONES PVBLICAS

DE

IVRE CONTROVERSO

IN IVLEO MAIORI

HABENDAS

INDICIT.

---

HELMSTADII

TYPIS PAVL. DIETERICI SCHNORRII

ACAD. TYPOGR.